M... Michael.

Bogucicki Jos. Nep. Cant. Laudatio funebris
Iacobi Michaëlis Marciszowski.

LAUDATIO FUNEBRIS.

PERILLUSTRIS olim CLARISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI

D. M. JACOBI MICHAELIS MARCISZOWSKI,

Utriusque Juris DOCTORIS, & PROFESSORIS, Ejusdemq; Facultatis PROCANCELLARII & DECANI, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ S.S. O.O. PRIMICERII, Parochialis in Koniusza & Pobiedr CURATI, Librorum per Diæcesim Cracoviensem CENSORIS, Ordinandorum & Approbandorum EXAMINATORIS, Judiciorum Illustrissimi Consistorii Generalis Cracoviensis JUDICIS SURROGATI, Contuberniorum; Regio-Jagelloniani, Jurisperitorum, necnon Coloniæ Academicæ Tarnoviensis PROVISORIS, VIRI de Republica Litteraria & Ecclesia DEI optime meriti.

Dum in Ecclesia Collegiata SS. OO. Cracoviæ Pientissimis Ejus Manibus.

Solennes Exequiæ ritu Catholicæ Ecclesiæ persolverentur.

Nomine mæstissimorum Academicorum Ordinum lugubrî calamô

M. JOSEPHI, NEPOMUCENI, CANTII BOGUCICKI Philosophiæ Doctoris, Ejusdemq: Professoris,

Venturæ posteritatis memoriæ

COMMENDATA.

Annô post Christum Natum 1773. *Die* 13. *Mensis Martii.*

Cracoviæ Typis Seminarii Academico-Diœcesani.

99.

Magni Viri mortalitas magìs finita, quàm vita eſt, vivit enim vivetque ſemper. *Plato.*

Vetuſtas hunc morem judicavit honeſtum eſſe, ut mortui laudarentur. *Thucidides.*

Non miſerabiliter Vir clarus emoritur. *Cicero.*

Erras; non reliquit ille nos, ſed anteceſſit. *Seneca.*

Ad

PERILLUSTRES REVERENDISSIMUM, CLARISSIMOS & ADMODUM REVERENDOS DOMINOS.

D. M. ANTONIUM ZOŁĘDZIOWSKI

Juris Utriusque & Sacræ Theologiæ DOCTOREM, & PROFESSOREM, Collegam Majorem, Collegii Majoris SENIOREM PATREM, Facultatum, Theologicæ, Philosophicæ & Medicæ PROCANCELLARIUM, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICUM, Vislicensis SCHOLASTICUM, Parochialis S. JACOBI Casimiriæ ad Cracoviam PRÆPOSITUM, Seminarii Academico-Diœcesani PRÆFECTUM.

D. FRANCISCUM ZIĘBINSKI

Utriusque Juris DOCTOREM Collegiatæ S.S. O.O. DECANUM, Andreoviensem PRÆPOSITUM, Consistorii Generali; Cracoviensis ACTUARIUM.

D. M. FRANCISCUM ANTONIUM CWIERZEWICZ

Utriusque Juris DOCTORIANUM PROFESSOREM, Collegam Juridicum, Ecclesiarum; Collegiatæ SS. O.O. CANONICUM, in Mogilany CURATUM.

Mæſtiſſimos ultimæ voluntatis Præſtites,

Conſolatoria.

ITane arctiſſima neceſſitudine Conjunctus Vobis Vir nunquam ſatis æſtimandus MARCISZOVIUS obiit? itane morte inopina Vobis Nobiſq; ereptus? Heu! homines quid ſumus? quam totum hoc vivere lubricum, breve, nihil. Equidem eſt, cur doleatis. Amiſiſtis amicum re, non nomine, amicum candidum, litteratum, ſapientem, & qua erat probitate & prudentia, eximium Doctorem, in quo virtutes ſimul omnes admirando fœdere viguerunt, quæ ſingulæ ſunt in ſingulis. Quæ quo majores in Eo fuerunt, eò graviùs Vos torquet & urit tanti Viri jactura. Cavete tamen, plus nimiò Vos maceretis & habenas laxetis dolori. Ut enim flere humanum eſt, non commoveri belluinum, ita triſtitiam ſuam moderari & luctum, Chriſtianum planè & homine religioſo dignum. Erigimini animò & mortis hujus acerbitatem iſta cogitatione temperetis: debuiſſe mori MARCISZOVIUM, voluiſſe mori, mortuum, ſed in Domino, ſed morte juſtorum, expiatis diligentiſſimè conſcientiæ noxis; ſed morte placida, addo & opportuna, ſi tempora & ea, quæ nos undique circumſtant mala, reſpiciatis. Verbò: ad meliora ivit, puriora, lætiora, pravis, turbidìs, triſtibùs hìs relictìs. Nos quod unum præſtare poſſumus, & memoriam Iſtius Emeriti multùm Patris perpetuo recolamus, & fuſis ex animo precibùs Eum juvare conemur, ſperantes fore, ut ipſi viciſſim Illius precibùs adjuvemur.

ORA-

ORATIO.

PUblica & ſolenni quadam oratione ,illis noſtra in Academia parentari, qui de Litteraria Republica vel Eccleſia, vel Patria aliiſq; præclarè ſunt meriti, nemo opinor vitio vertet, aut quoquo tandem modo reprehenſum ibit: niſi forte è grege illorum hominum extiterit; qui id duntaxat, quod ipſi fecerint, rectè fieri putant, à reliquis verò ſui apprime ſimilibus, ſibiq; per omnia comparandis, nihil quod cum laude & immortalitate nominis conjunctum ſit, exſpectari poſſe, non minùs temerè, quàm arroganter exiſtimant; aut illorum numerô cenſeatur, qui commodîs ſolùm privatîs res metiuntur, ideoque præſentes amant ac colunt, mortuorum cum corpore memoriam ſepeliunt. Sed bonis

omnibus non ea ineſt ſententia, quin potiùs Sacrum Sanctúmq; habent, ut quos, cùm in humanis agerent; amore & benevolentiâ proſequuti ſunt, iſthoc carnis ergaſtulo ſolutos memoria recolant perenni. Nihil enim ipſis ſecundùm Deum antiquius eſse luculenter perſpectum eſt; quàm, ut erga eos, quos donîs eximiîs ornatos, meritîs præſtantes noverunt, teſtatam grati animi ſignificationem relinquant. Hanc cum Cicerone virtutem non ſolùm maximam, aſt etiam cæterarum omnium Matrem judicant: nihil cum eodem Sapientiſſimo Tullio tam inhumanum, tam immane, tam eſse ferum cenſent, quàm committere, ut beneficiô aut indigni aut victi videantur. Jam, quem hiſtoriâ vel leviter tinctum fugere poteſt, quantus demortuis olim habitus honos fuerit; quod me etiam tacente juſta publicè ſoluta probant, depoſitiones honorificæ palam faciunt, monumenta præſigni magnificentia conſtructa confirmant, erecti docent lapides, ſtatuæ poſitæ, ludi ſumptuoſiſſimè peracti, ſpectacula apparatiſſimè data id ipſum contrapervicaciſſimos quosvis obtrectatores evincunt, orationes denique oſtendunt, quæ ad dilaudanda lucis hujus uſurâ privatorum geſta inſtitutæ litterarumq; traditæ monumentis fuerunt. Laudationes namque, atque celebrationes eorū, qui fato conceſserunt, & vitam propè æternam efficiunt, & ad recte agendum beneq; de omnibus merendum alios tacitô illoq; vehementî illiciô excitant, eò quòd, præmiorum ratio ſi habenda, ampliſſimum ùt ſapiens ait: præmium gloria eſt, quæ una vitæ brevitatem poſteritatis memoriâ conſolatur, ac efficit, ut abſentes adeſse, mortui vivere, extincti conſpici poſsimus. Hîs ergo aliîsq; rationibûs, quas con-

ſultò

ſultò latere nunc patior, adducti Ampliſſimi Ordines Academici, hujusmodi parentationem Perilluſtri olim Clariſſimo & Reverendiſſimo Domino, M. JACOBO MICHAELI MARCISZOWSKI Juris Utriusq; Doctori & Profeſſori, Eccleſiæ Cathedralis Cracovienſis Canonico &c. (proh Deus Immortalis cui Viro quantaq, virtute præſtanti!) vultu ad mæſtitiam compoſito, erumpentibûs ubertim præ incredibili dolore lacrymîs perſolvunt. Quo certè nihil unquam juſtius. Jſthoc namque officium jure ſibi vendicat rerum à tali tantoq; Patre geſtarum ſplendor, quæ; tot tantæq ſunt, ut non inopinatò importunèq; ſublatus, ſed náturam ipſam explevisſe vivendi ſatietate videatur. Jgitur hæc nos una conſolatio sustentet, hæc mærore perculſos proſtratosq; erigat animos, hæc lacrymas, & ſi contra illarum torrentem niti haud poſsumus, abſtergat, hæc complorationem luctumq; omnium Litterariæ Reip: Civium temperet, quòd ita univerſum vitæ ſuæ ſpatium Vir ornatiſſimus recordationeq; ſeculorum perquàm digniſſimus peregerit, ut *& DEO ſatis & Litteris ſatis vixerit.* Unum profectò hac in re deſiderabitur: quòd non is illi laudator contigerit, qui ingeniô dicendiq; facultate inſtructus, orationem ejus virtutibus parem afferre, hocq; efficere poſſit, ut digna laboribus atque promeritis illius præconia tribuantur. Ac ego quidem, verum, quo par eſt animi candore, ut fatear, nunquam iſtam longè difficillimam provinciam ſubire auſus eſsem, niſi & mea me multis abhinc annis ſuſcepta adverſùs Eum obſervantia & pietas, ut id facerem, omnino permoviſset, & eorum, quorum imperium detrectare non poteram, auctoritas coëgiſset, & niſi mihi ipſa levamento

ac ſolatio eſſet difficultas. Nam cum ſatìs intelligam, quod mihi eventurum eſt, ut oratio mea longè multumq; infra Magni iſtius Viri dignitatem jaceat, idem cuilibet, quamlibet copioſo & exercitato homini eventurum fuiſse, facilè patior delectum potiſſimùm eſse, me cujus prædicatione & calamô admirabilium ipſius in omni genere virtutum cognitio ad omnes perveniret, Cui tantum debeo, quantum homo homini debere poteſt. Ac quoniam & religiosum Chriſtianum, & probum Sacerdotem,& Virum Sapientem laudibûs celebrandum & ab oblivione tuendum ſuſcepi: eumdem in hoc munere obeundo modum tenebo, quem tenerem, ſi ipſe mortali adhuc corpore indutus, exiguum iſtud folium de ſe conſcriptum, ut legeret, & eo genere orationis utar. quo ipsum præcipuè oblectari ,ſolitum novimus, non pigmentîs, ac fucîs oblito, ſed ſevero ac solido, & ea ſola in Jpso commendem, quæ Jpse in rebus humanis ſola commendanda ducebat. Qui Ethnicorum more vixerunt, Ethnicorum more, per me licet, laudentur, ego tam pio, tam moderato, tã demiſso *MARCIS ZOVIO* nullam laudem convenire arbitror, niſì verè ac propriè Chriſtianam, necnon Academico inſtituto conſentaneam.

Et quia religio ac pietas eſt fundamentum omnium virtutum, hinc exordiatur oportet oratio mea, ut *MARCISZOVIUM*, quòd omnes religionis ac pietatis partes ex æquo impleverit, ſatìs Deo vixiſse omnes intelligant. Quod quidem dum præſtare cupio, nolim hôc loci intelligi, illam adulterinæ pietatis larvam, quæ melle & ſesamô paſcitur, quæ ſcilicet in teneros ſensus ac ſterilia tantummodo deſideria evaneſcit, virtutem deguſtat, non amat, intuetur eminus, comi-

nus

nus exhorrescit, quin Deo etiam ipsi verba dare audet, animum & obsequium recusare. Languida hujus modi devoti supremo Numini cordis officia pium & religiosū *MARCISZOVIUM* minimè decent. Tota mentis acie, totoq; animi impetu ferebatur in DEUM, atque hæc erat summa votorum: ut fidem, reverentiam, amorem Illi suum in omnibus testaretur, Ejusq; Gloriæ summo conatu promovendæ se ipsum impenderet. DEI O. Maximi causâ nullas Ille potentum inimicitias, nullas minas, nulla pericula, nullas fortunæ, vitæ ac capitis dimicationes sibi defugiendas putavit. Imò illas Eum ultro ac cupidè appetiisse non una in occasione manifestò constat, adeò: ut idem, quod David jure dicere potuerit: *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Jtaque Parentibûs & clarissimo genere, & meritîs in Remp: Polonam commendatîs ortus, ita ab iis à teneris unguiculis ad pietatem efformatus fuit, ut non priùs voces reddere potuerit, quin sublatîs in Cælum oculîs, & manibûs supplicis in modum junctîs, preces, quas primas omnium pronunciare didicit, fuderit. Postea ad Cracoviensem Urbem, quæ semper bonarum artium & sapientiæ domicilium habita est, missus, ita honestissimis studiis navavit operam, ut ne latum quidem unguem à Christianæ Religionis præceptis discederet, duasq; solùm noverit vias, alteram, quæ ex domo ducebat ad Ecclesiam, quæ ad Academiam, alteram. Jn ætate tam lubrica, tam ad voluptates prona, tanto cupiditatum æstui obnoxia, tam sibi præfidente, nunquam se passus est abripi deliniriq; illîs vitæ mollioris illecebrîs, quæ & rationi crassas tenebras offundunt, & ex animo salubrem Dei timorem, ad assequendam veram

ger-

germanamque sapientiam comprimis pernecessarium, delent atque prorsus expungunt. Quod quæso magis commune Juvenibus vitium, ac aureas pretiosi temporis horas per ignavum otium multorum malorum indesinentem scaturiginem perdere, in rebus ludicris, meris ineptiis, vanis confabulationibus traducere? At hæc pestilens morum contagio venenô suô intimas ævi nostri Adolescentũ pervadens fibras, optimaque corrumpens ingenia, tantum abfuit, ut integrum & purum *MARCISZOVII* inficeret animũ, qui ab adolescentia sua teneros suavi Domini jugo subjiciens humeros, illudmet inconcussè stabilis ac perseverans ad vitæ exitum haud ægre gestavit. Adolescens adhuc eã sibi legem inviolatè servandam indixit, utne illis se comitem adjungeret pravis maleferiatorum quorundam societatibus, à quibus sua integritas, castimonia, innocentia aliquid metuendum haberet. Hæc verò omnia in Jllo efficiebat, summa ea, qua Deum coluit Religio, persuasus firmiter, fore, ut gravissimô obstringatur flagitiô, si subtrahens Deo primævum ætatis florem, alteri cuipiam sua addiceret studia. O mentem sanctam! ô cogitationem nunquam satìs pro dignitate laudandam! Atque quidẽ postquam *MARCISZOVIUS* tam fidelem, tã promptum, tamq; docilem se DEO suo exhibuerit, illa ætate, quæ variîs obtentibûs iniquîs severissima Omnipotentis Conditoris mandata formidandaq; judicia declinare contendit; quid putatis Auditores, qualem quamq; Divini Nominis studiosum se præstiterit tum, cùm maturiores nactus annos, uberiorem de Deo rebusq; Divinis cognitionem hauserit, arripuerit, comprehenderit? Hìc planè patuit, quemadmodũ *MARCISZOVII* vita tota quanta quanta majori Dei Cultui amplificando consecrata erat. Sacris etenim

nim Ordinibus admotus ac auguſtiſſimi Sacerdotii charactere inſignitus, quæ non genuinæ adverſùs Deum pietatis evidentiſſima protulit argumenta? An aliquem latere poteſt, quanta DEI amore egerit? qua utì vigilantiſſimus Paſtor cura & ſolicitudine decori Domus Dei providerit? quàm propter Deum uſque ad magnificentiam liberalis fuerit? quàm munifica manu tremendas Jncruenti Sacrificii Aras ornaverit? qua dexteritate officii Divini ſplendori conſuluerit? qua diligentia bono rerum Eccleſiaſticarum ordini proſpexerit? ipſi parietes, ſi loqui poſsent, dicerent, gratiasq; referrent. Et tandem quia Divina vocatione ſe velut ad mercaturam animarum miſsum probè intelligeret, ſuæq; curæ incumbere cerneret, homines naturâ perditos ſervare, corruptos de integro ſanare, aberrantes reducere, lapſos erigere, fædaq; turpitudine purgare & lucrari Chriſto, nihilq; aptius ejusmodi fini conſequendo Verbi Divini doctrinâ obſervaret; omnes Chriſtianæ Eloquentiæ nervos eò contulit, ut velut alter Paulus Spiritu Sancto accenſus fulgurando ac tonando; vitia eliminaret, vitæ emendationem, pœnitentiam, ſtudium pietatis animis populorum inſpiraret.Quàm acres fuere *MARCISZOVII* invectivæ in morū licentiam, quàm graves à peccatis dehortationes, quàm crebræ comminationes in Divinarum legum transgreſsores, in pertinaces, in diſsolutæ vitæ homines, Conciones Ejus, quas per univerſam longè latèq; diffuſam Poloniam ad varia invitatus ſuggeſta frequentiſſimè habuit,teſtantur. Cur enim Jpſius in Vinea Domini labores copioſus non ſequutus fuerit fructus,utpote qui ſalutis & Fidei myſteria inculcans, virtutis pulchritudinē, ſceleris enormitatem vivîs adumbrans

brans

brañs coloribûs, futuræ vitæ præmia & ſupplicia robuſtè juxtà ac diſertè exponens, mox probitatem ipſam non verbîs ſed factîs commendabat. Nunquam Jlle conquievit in nuda virtutis aut peccati cujuspiam coſideratione, qua ingenium acui, voluntatem verò ad proſequendã virtutẽ minimè inflammari perbellè ſciebat. Exemplô igitur implevit, quod ore docuit, memor illius Hieronymi ad Nepotianum moniti: Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne, cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat, cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manusq́; concordent. O præclarum ac propè Divinum oratorem! quem ſiqui audierint, non modò doctiores, aſt, quod longè majus eſt, meliores protinus evaſerunt: ô Legatum & Miniſtrum DEI viventis! Cujus ut honorem, cultum, Majeſtatem & potentiam defenderet, omnes labores, vigilias, incommoda, calamitatem & moleſtiam ſibi ſuſcipiendam duxit. DEI religione perfuſus, quotidie ferè ad placandam Vindicis Numinis iram delictîs hominum exacerbatam ſacris operabatur, ſi id non poterat, omnino tamen ſacroſanctæ Agni Jmmaculati Hoſtiæ intererat eo devotionis ſenſu, ut intuentes ædificarentur, ad ſimilesq́; profundendos affectus impellerentur. Tanta negotiorum mole diſtentus, eam nihilominus temporis partitionem ſibi immobili tenore præfixit, cujus partem prece piîsq́; aliîs exercitationibûs, partem Sacrorum Librorum, quibûs ſpiritus alitur, & ignis amoris Dei accenditur, lectione tranſigeret, quam vitæ inſtitutionem tam religioſam tamq́;

DEO

DEO placentem ſeveriùs à ſe ipſo exigebat. Nunquam ex Ejus ore verbum unum prodiit, quod non aut ad Dei laudem, aut ad eorum, qui aderant correctionem pertineret. Sic quamquam adhuc in terra poſitus, verſabatur in Cælo, & cùm hìc nobiſcum viveret, jam tamen Civis erat Sanctorum & Domeſticus Dei. Ob hanc tam illuſtrem erga Deum pietatem ſummis quibuſvis Viris zelô gloriæ Divinæ ſuccenſis, virtutis & ſapientiæ juſtiſſimis æſtimatoribus ita Noſter *MARCISZOVIUS* carus, jucundus atque acceptus extitit, ita in amore & deliciis fuit, vix ut quisquam unus uni carior foret, quàm unus hic univerſis. Quem pii animi fervorem cùm in Eo advertiſset Vir totus communi Eccleſiæ & Patriæ bono natus Celſiſſimus olim Princeps Jlluſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus ANDREAS ZAŁUSKI Præſul & Antiſtes Cracovienſis; Cujus Nobis Academicis adhuc dulces ſunt cineres, quibûs amoris & benevolentiæ officiîs Jllum non eſt proſecutus? quàm non ſemel ſolicitudinis ſuæ Paſtoralis partes circa gregem Domini ad viam ſalutis inoffenso pede dirigendum, Eidem demandaverit? Sed quid vetera repeto, cùm moderna ſatìs ſuperquè ſufficiunt exempla non vulgaris exiſtimationis, qua cumulatus fuit *MARCISZOVIUS* propter ſua in DEI Eccleſiam promerita. Cujus enim adeò peregrinantur aures, ut penitus ignoret, quibûs & quàm ſingularibûs beneficiîs ornavit *MARCISZOVIUM* Cracovienſium Pontifex Celſiſſimus Princeps Jlluſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus CAIETANUS SOŁTYK, Quem dignitate, ſapientiâ, virtute, animi magnitudine verè ſummum, ad Catholicæ Eccleſiæ felicitatem procurandam, ad res Regni ſatìs ad

ruinam inclinatas ſublevandas & in priſtinum ſtatum reſtituendas, florentem ac ſoſpitem verè arcanô Divinæ Providentiæ conſiliô vivere, ſibi boni omnes gratulantur, improbi nonniſi trepidant, cùm Eo ſalvo & incolumi nuſpiam ſe jam tutò poſse conſiſtere perſentiſcunt. Quique quanti faceret *MARCISZOVIUM*, non verbîs modò, aſt re ipſa declaravit, quem utì Virum ad maxima quæque Diæceſis negotia feliciter expedienda natum, ſæpe ad privata colloquia congreſsusquê ſecum eſse jubebat, & consiliorum ſuorum participem ac ſocium admittere non dubitabat. Proinde graviſſimô judiciô decretôquê Sapientiſſimi æquè ac Vigilantiſſimi Pontificis *SOŁTYKII* fortiſſimi Religionis Aſsertoris, Ordinandorū & Approbandorum Synodalis Examinator, Librorum per Diæceſim Cracovienſem Cenſor, Judiciorum Jlluſtriſſimi Conſiſtorii Generalis Cracovienſis Aſseſsor & Judex Surrogatus conſtitutus, quanta cum laude munera tam ardua tamquê ingenti difficultate involuta ſuſtinuerit, quid opus eſt pluribûs verbîs exponere, præsertim, cùm hæc facta ſint palam, & omnium oculis obverſentur? Quantum Ei prudentiæ & acuminis ad videnda ea, quæ vera & recta eſsent, quantum animi & libertatis ad eadem proferenda, quantum auctoritatis ad obtinenda ſemper fuit. Nihil unquam Ille in dicenda ſententia aut metui, aut gratiæ dedit, nunquam ad cujusquam voluntatem orationem ſuam accommodavit, nunquam quidquam veritate prius, aut ſanctius habuit. Ac ideo communis ferè per omnes ſpargebatur rumor, nihil à *MARCISZOVIO* Spirituali Judice precibûs peti oportere: preces enim apud Eum neque ad juſta impetranda neceſsa-

cesſa-

ceſsarias eſse, neque ad injuſta extorquenda effica- ces. Quodſi quidam ex veteribus Romanis eo no, mine felix habitus eſt, quòd ab eo nemo ullam rem improbam petere auderet: quibûs non efferen- dus laudibûs *MARCISZOVIUS*, quem omnes, qui quid petituri erant, in quo vel minimum turpitu- dinis inesset, tanquam ſcopulum quendam refugiebant. Quæ verò Ejus fuerit dexteritas in agendo, quæ forti- tudo in ſuſtinendo, quæ diligentia in pervidendo, quæ conſtantia in urgendo, ut res Divina purâ ſemper, in- tegrâ & incorruptâ mente coleretur, ut perniciosis Orthodoxæqué Fidei è regione oppoſitis dogmatibus depravatisqué ſeculi hujus vitiorum feraciſſimi mo- ribus omnis aditus obſtrueretur, ut juſtitia, pax, con- cordia & tranquillitas in Diæceſi iſthac regnaret, comprimerentur libidines, arcerentur rapinæ, cohibe- rentur violentæ potentiorum in fortunas tenuiorum invaſiones, verbô, ut DEUS amaretur, timeretur & co- leretur, haud neceſſarium puto iſto loco dicere, cùm horum omnium à *MARCISZOVIO* ſplendidè, magna- nimiter, fortiter geſtorum vivi adſint teſtes, teſtes in- quam, quibus & propter vitam illibatam, & propter au- ctoritatem ſummam, & propter virtutem ſpectatam, fi- dem negare non poſſis. Quos ego honoris & reve- rentiæ cauſâ nomino, Illuſtriſſimi nimirum & Reve- rendiſſimi Domini, *FRANCISCUS POTKANSKI* Epiſcopus Patarenſis, Suffraganeus & Officialis Gene- ralis Cracovienſis, à Quo etiam piè Defunctus Supre- mas ſuas protegi tabulas enixa voluntate poſtulavit. *JOSEPHUS NIEWIESCINSKI* Cathedralis Craco- vienſis Decanus, Cathedralis Cujavienſis Canonicus, Cui *MARCISZOVIUS* & in vita ſummê dilectus & in morte deploratus fuit, cæteriqué Cathedrales Cra-

covienſes Prælati & Canonici, Qui utpote acres ac perſpicaces ingeniorum Arbitri zelum & prudentiam *MARCISZOVII* gratiſſimi ſui Confratris Canonici ſuſpexere, amavere, coluere. Adeſt denique totum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Cathedrale Cracovienſe Capitulum. Quod Illo veluti dextrô brachiô ſeu ad lites & cauſas fortunato eventu terminandas, ſeu ad rerum Divinarum cultum magìs ac magìs augendum, ſeu ad Cleri diſciplinam reformandam uſum eſt. Quorum Summorum hominum propenſiſſimæ in *MARCISZOVIUM* voluntatis vel hoc illuſtrî argumentô eſse poteſt, quòd, cùm de improviſo graviſſimoqué Ejus morbo, quem Ille patienter ac plena in manus DEI Patris ſui reſignatione paratus è vita ùt miles è ſtatione diſcedere, dum Supremus Imperator voluerit, tulit; triſtem accepiſsent nuncium, ad Illum confluere, accedere, Ipſum lectô jacentem inviſere, perturbationem, quam Ejus periculô conceperant, ſignificare, de Illius valetudine ſolicitari, ne, cùm ſatìs DEO vixerit, ſibi immaturus decederet. Sed omnibus in rebus Divinæ voluntati acquieſcendum eſt. *MARCISZOVIUS* non tam annîs utpote tertium ſupra quinquageſimum natus, quàm meritîs plenus, non tam vî graſſantis morbi, quàm laboribûs, curîs & vigiliîs proſtratus & labefactatus, ultimîs morientium præſidiîs, Sacramentîs ſcilicet omnibûs munitus & armatus, cùm toto ægritudinis tempore, nihil aliud, quàm Chriſtum DEUM & Servatorem ſuum in ore perpetuò habuiſſet, ad Eum, Cujus Unius gratiâ vixit, Quem ſperabat 'Unum, Quo fidebat Uno,' ùt quidem auguratur animus, evolavit, gravem nobis Academicis relicturus jacturam & dolorem nullatenus leniendum, niſì & Litteris ſatìs vixiſset.

Tri-

Tria ſunt, quæ Noſtrum *MARCISZOVIUM* ſatìs Litteris vixiſse denunciant, atque ita denunciant, ut nullum prorſus dubitandi locum relinquant. Primum, quòd in iis egregiè verſatus fuerit, alterum, quòd eas in hac Scientiarum Univerſitate tanquam veteri illo bonarum artium & liberaliſſimarũ diſciplinarum emporio & ſede, utì Doctor Academicus publicè magnoquè concurſu diſcentium tradiderit, poſtremum denique, quòd Litteras litteratosquè beneficentiâ ſuâ foverit, ornaverit, protexerit. Quæ ſingula non tam pro rei amplitudine & argumenti copia, quæ longè imbecillitatem virium mearum excedit, temporiſquè ad ſcribendum dati anguſtiam ſuperat, quàm pro quali quali earumdẽ Litterarũ lenimine atque ſolatio in tanta tamquè acerba, illarum deſertione & ſolitudine perſequar. Quo etiam fiet, ut & multa memoratu digniſſima prætermittam, & ea ipſa, quæ attingam, jejuniùs multò atque exiliùs, quàm pro ipſorum dignitate percurram. Præprimis ingenium ad omnes honeſtas diſciplinas docile Supernæ Providentiæ munere nactus tam celeri pollebat in percipiendo indole, ut, quæ diſcebat, non tam accipere à Magiſtris, quàm Jpſe ex ſe parere & eorum reminiſci quodammodo ac recordari ex vetere illa Platonis ſententia, videretur. Novit Jpſe vel puerulus adhuc, quot labores, quot vigilias, quot denique graviſſimas animi curas ſibi doctrinarum ſtudia depoſcant. Sciebat cum Tullio omittendas eſſe voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludum, jocum, convivium ac Sermonem penè familiarium omnium deferendum. Non ergo *MARCISZOVIUS* otiô ac deliciîs molliri, non inanibûs puerorum oblectamentîs diſtrahi, non equorum

canum-

canumvé exercitationibus noſtrorum Adoleſcentum inſtar ab inſtituto ſtudiorum curſu avocari, non ferventioris ætatulæ cupiditatibûs, quæ Juventutem, cùm à Litterarum ſtudiis, tum ab omni honeſtate abducere ſolent, in transverſum ſe agi permiſit, ſed recto illo tametſi difficili ac ſalebroſo ad virtutem itinere ſibi propoſito, ſe totum ab ineunte ætate Litteris tradere, nullîs nisì Litteratîs hominibûs uti, cum iis ſua communicare ſensa, eorumqué judicium exquirere impensè amabat, Elementorum igitur latinitatis, Pòéſeos, Eloquentiæ, Philoſophiæ Mathematum, Theologiæ Scholaſticæ, Poſitivæ, Polemicæ, Moralis, emenſò diligenter curriculô gradum illum & honorem Litterarium, qui in Philoſophia ſummus eſt, obtinuit. Atque hinc colligere licet, quæ, qualis, quantaqué inſtitutio ſuccreſcentis magnam in Patriæ ſpem Iuventutis à Magiſtro *MARCISZOVIO* bene & Ipſo Litterîs imbuto exſpectari debebat. *MARCISZOVIUS* ille erat Magiſter, qui animô comprehenſum habebat, quidquid in Herodoto præ cæteris memorabile, in Thucydide concitatum, amænum in Xenophonte, in Plutarcho prudens, ſublime in Platone, in Theophraſto ad mores conducens, facetum in Luciano, in Epicteto ſapiens, vehemens in Demoſthene, In Æſchine patheticum, in Jſocrate elegans, in Homero alliciens, in Pindaro Lyricum, in Æſchylo penetrans, in Sophocle nobile, in Euripide movendis aptum animis, in Theocrito nativi candoris, in Bione & Moſcho jucundi leporis eſt. Jlle erat Magiſter, qui intimè pernovit linguam illam veterum Romanorum tam abundantem, tam cultam, tam vividam, tam plenam Majeſtatis, qui familiarem ſibi reddidit, & penitus cognitum Ciceronem illum Ora-

torum

torum Parentem ac Principem, Plinium eloquentem illum laudatorem, ſcriptorem argutum; Salluſtium in acribus animi ſenſis tam fertilem, in characteribus percellentibus tam felicem; Cæſarem tam ſtrictâ dexterâ & gladium vibrantem & ſtylum; Titum Livium, cujus ampliſſimum ingenium Romanarum rerum æquavit amplitudinem; Paterculum tam magnum ſensu, quàm brevem verbîs; Curtium exornantem, quidquid narrat, & perſuadentem, quidquid aggreſsus eſt; Plautum illum, qui Muſæ Comicæ ſales omnes eripuit; Terentium, qui ab eadem omnem prudentiam & veriſimilitudinem mutuatus eſt; Virgilium heròém in Ecloga, in Georgicis Jnventorem, Epopæiæ Perfectorem, Horatium tam elevatum in Lyricis, tam delicatum in Satyris, tam in Epiſtolis prudentem; Ovidium fæcundum, amænum, ſplendidum, Lucanum planè fluentem, Senecam meditantem, Plinium veſtigantem, Quintilianum docentem, Civilem Tacitum pingendi ſimul & divinandi officiô fungentem. Tantîs doctrinarum copiîs inſtructus, tam ab omni arte excultus *MARCIS ZOVIUS* Eorum voluntate, quorum nutu & imperiô; Academica diriguntur ſtudia, formandæ Juventuti deſtinatur. Et profectò nec Reſp: ſua utilitate, nec Gens Togata ſua commendatione caruit. Erat enim in *MARCISZOVIO* excellens judicium, vis memoriæ planè admirabilis, doctrina magna, ſtudium acre atque indefeſsum, ſingularis in docendo claritas, perspicuitas, ſuavitas, gratia, aſſiduitas & invictus animi vigor, ut de nulla re alia, quàm ornanda ſparta ſibi conceſsa, curam atque cogitationem ſusciperet: non valetudinis, qua incommoda infirmaqué utebatur; rationem haberet, cibi potû què

ſæpe

sæpe Eum oblivio ſcaperet, ſtudiorum gratiâ inediam protraheret, frugaliſſimè ſemper viveret. Et quemadmodum agri fæcundi cùm videntur, etiamſi agricolarum non ampliùs labores conſpiciantur, tamen ex ipſis fructibus, bene ſuo eſse cultores munere functos colligitur, ita, quicunque oculos ſuos converterit ad illos *JORDANOVIOS, ŁĘTOWSCIOS, PRZYREMBSCIOS, MAŁACHOVIOS, SZANIAWSCIOS, LIPSCIOS, WODZICCIOS, SIERAKOVIOS, RUPNIEWSCIOS, ZŁOTNICCIOS, MICHAŁOWSCIOS, POTOCCIOS, OTFINOWSCIOS, DĘBINSCIOS, LUBIENIECCIOS, MYSZKOWSCIOS, STRASZEWSCIOS, PISARZEWSCIOS, ZAWADZSCIOS, MIEROSZOWSCIOS, GOŁUCHOWSCIOS, WAXMANOVIOS, CHWALIBOGIOS, REMEROVIOS, HUBIENSCIOS, CHOMĘTOWSCIOS, KOMECCIOS, BŁESZYNIOS, RUDKOWSCIOS, ZAKRZEWSCIOS, KOBIELSCIOS, NIDECCIOS, BOGUCCIOS, STOCCIOS, BIELSCIOS SOBOLOWSCIOS, XIĘSCIOS,* aliosqué plusquàm ſexcentos, Quos ab Iſto Magiſtro educatos, poſtea ad Eccleſiæ & Patriæ gubernacula adhiberi contigit, & de cultu prudenti, laborioſo, fido minimè dubitabit, & ùt multîs aliîs nominibûs, ita hoc quoque æternâ eundem memoriâ, laude, celebratione dignum judicabit. Non hîc profero, quàm naviter & induſtriè, quàm eruditè & ſapienter altioris ſubſellii Artes atque ſcientias docuerit. Omitto dicere, qua ſoliditate & facilitate Utrumque Jus, omnesqué controverſas Juris quæſtiones explanaverit, quàm incredibili frequentia, ad Eum inuſitata quadam dicendi facultate præditum, de obſcuris dilucidè, de confuſis ac perturbatis ordinatim ac diſpoſitè, de dubiis enucleatè diſserentem to-

tum-

tumqué in eo positum, ut Auditores, quos eru-diendos susceperat, non ad ventosam & superficiariam, sed ad veram, plenam succi & sanguinis doctrinam informaret, ex omnibus ferè Poloniæ partibus ad peritiam legum consequendam quotidie confluebant. Missa inquam hæc facere debeo. Equidem si in singulis hæreret oratio, nunquam exitum inveniret. Quare ad ultimum descendat, oportet, ut nimirum in luce ponatur, quid augendis ornandisqué Litteris, quid promovendis Litteratis contuleris, quo beneficiorum genere, qua benevolentia, qua sincera caritate Litteras Litteratosqué prosecutus sit. Utinam mihi esset tanta vis ingenii, ac tanta scribendi facultas, ut rarum, maximum, & incredibilem tuum Vir sempiterna commemoratione digne erga Litteras & Litteratos amorem vivîs eloquentiæ coloribûs, si non exprimere, at saltem adumbrare potuissem! Utinam magnitudinem beneficiorum tuorum, quibûs non modò de tuis temporibus, sed de omni quoque posterorum memoria bene mereri voluisti, data mihi fuisset satìs explicandi copia! Verùm, quod neque unius hominis parùm eloquentiâ valentis conatus, neque exiguum temporis spatium ad exarandas laudes tuas constitutum, semel satìs præstare possunt, id Tibi Litterati ad gratam & immortalem nominis Tui deprædicationem perpetuò præstabunt, semperqué fama, honos & præclara beneficentia Tua altissimìs illis erunt defixa radicibûs. Transmittent de ætate in ætate illa feræ posteritati, & donec Litteris suus habebitur honor, eousque celeberrimum nomen Tuum omni-

um bonorum vocibûs perſonabit; neque ulla unquam ætas de Te Tuisqué laudibus conticeſcet. Fuere quidem, non repugno, & ſuat hodiedum plurimi Viri Clariſſimi, qui ab ineunte ætate ſeſe Litteris dare, easqué ad extremum usque ſpiritum in deliciis habere conſueuerunt, illud tamen contendo; ex iis plurimos fuiſse, & eſse nunc, qui multum quidem erga Litteras, nullum verò erga Litteratos homines ſtudium, nullamqué propenſionem declaraverint & declarent. Sive enim non ea ſint à natura liberalitate donati, ut bonas Litteras, & qui easdem profitentur, pluris æſtiment quàm pecuniam, ſive illi philautiâ tantopere laborent, ut cæteros omnes præ se nihili faciant, ſive alienæ doctrinæ gloriâ nomen ſuum obrui, ſibiqué de fama ac dignitate ex aliorum ingenio detrahi putent: illud certum eſt, limîs oculîs homines Litteratos aſpicere, atque illos nullîs præmiîs, nullîs honoribûs nulloqué beneficio exornare. Imo, quod vix in mentem cuipiam venire poſset, animô à Litteratis ipſis prorſus alienô atque infeſtô eos exiſtere. Aſt verò in dubium vocari nequit, quin Sapiens & magnanimus *MARCISZOVIUS* à teterrima probrosiſſimaqué invidiæ labe ſemper remotiſſimus, tantùm Litteratos amaverit, quantùm & Litteras, amore videlicet ſingulari, ſummo ac propè incredibili. Etenim cùm ſex ipsîs vicibûs ad Reipublicæ Litterariæ clavum omnium Academicorum Ordinum voto ac exultatione ſediſset, primas ſibi curas ſumpſit, ut de ingenuis diſciplinis, doctisqué Viris optimè mereretur, vixqué Sceptra manu prehendit, illico de eximiis optimarum artium ſtudiis in ſummum ſplendorem atque amplitudinem re-

ſtitu-

ſtituendis cogitare cœpit. Mihi videntur Litteræ cùm viderent *MARCISZOVIUM* ad Principem in Academia ſedem evectum eruditisqué mentibus imperantem, hîs geſtientes præ gaudio vocibûs usæ: ô nos beatas, quibus datus es ¡Divinitus Pater, & talis Pater, qualem neque meliorem, neque noſtrûm amantiorem optare nunquam potuiſsemus. O diem illum fortunatum & melioribûs planè lapillîs nobis conſignandum, quo nos noſtraqué omnia Tibi Moderatori benigniſſimo ſubjecta vidimus, quo in tutelam tuam traditæ ſumus. Tu nos à craſsis inſcitiæ tenebris eripies, Tu ab oblivione vindicabis, Tuô conſiliô, ſapientiâ, liberalitate ſartæ, tectæ ſumus futuræ. Sed & Litterati certum apud Eum patrocinium ac tutum aſyllum invenerunt. Singulos diligebat ût Filios, non verbô & ſermone, ſed opere & veritate, quumqué nitidam conſtantemqué frontis jucunditatem præſeferret, rectæ videlicet conſcientiæ judicium, qua nihil timent, qui nihil admiſerunt, eorum ad ſe rapiebat animos aurea oris & vocis ſuavitate, ſibiqué arctiûs liberaliſſima voluntate obſtringebat, per quam illis ita præſtò erat, ut nemo ab Eo triſtis unquam diſceſserit. Atque licèt creberrima miſericordiæ ſuæ in miſeram calamitoſorum turbam quotidie ad se venientem argumenta *MARCISZOVIUS* ediderit, qui familias complures, deſolatas viduas, pauperum Religioſórum cætus, rei domeſticæ inopiâ laborantes ſecretô, vanam jactationem ceu peſtem fugiens, alebat, atque adeò properè et ſtudiosè ad levandam afflictorum hominum penuriam accurrebat, ut calamitosis ad opem ſalutemqué ſufficeret, *MARCISZOVIUM* eo-

rum ærumnas non ignorare, nihilominus tamen hoc alacre benefaciendi ſtudium maximè erga homines doctos ab ingenii quidem opibus ſatìs ditatos, à fortunæ autem copiis deſtitutos patefecit. Quippe nihil magìs ratus Litterarũ Cultoribus ad ſua perficienda & acuenda ingenia obeſse, ac illud, quod ſæpe de vita toleranda, de pane conquirendo, de re facienda anxiìs diſcerpantur cogitationibûs. Verùm ô diem Litteris Litteratisquè omnibûs funeſtiſſimum! o acerbiſſimam & vix planè ferendam calamitatem o nos miſerrimos qui Propugnatorem acerrimum, qui liberaliſſimum Mecænatem, qui Parentem optimum amiſimus! O ſpes hominum fragiles! o fortunam volucrem! o præpoſtera conſilia! o incertos vitæ humanæ eventus! o inanes noſtras cogitationes,! quæ in medio ſpatio ſæpe franguntur, corruunt & antè in ipſo cursu obruuntur, quàm portum aspicere potuerunt. Quàm cito illa omnia ex lætitia & voluptate ad luctum & lacrymas defluxerunt! Ecce *MARCISZOVIUS*, quem omnes boni immortalem vellent, in diræ atque inexorabilis mortis ſpolium ceſsit, & rebûs humanìs eſt exemptus. Hem *MARCISZOVI*! quantam quamquè juſtam multis mærendi occaſionem morte tua obtuliſti, etſi tuâ quidem causâ nihil eſt, quod lugeamus. Tu præclarè ac laudabiliter vitæ curſum confeciſti. Tu ita maximìs honoribûs perfunctus es, ut Te ſemper homines majoribûs dignum judicarent. Tu auſam laceſsere Te invidiam virtute ſuperâſti. Tu ultimam vitæ imminentem horam placido vultu excepiſti. Tu denique moribundus multas animi verè Chriſtiani ſignifi-

cationes

cationes dedisti. Omnium erga Te Ordinum charitatem, satis hæc ipsa varii generis hominum, quæ ad cohonestandum funus tuum convenit multitudo, declarat. At dolendum Academiæ, quæ tam Magnum Doctorem, dolendum Ecclesiæ, quæ tam pium modestumque Canonicum, dolendum Christiano Ovili, quod tam vigilantissimum Pastorem amiserit. Sed hæc gravissima jactura Tuo maximè Cordi acerbissimum infligit vulnus Excellent: ac Doctissime Domine M. FRANCISCE MARCISZOWSKI Philosophiæ Doctor piè Defuncti *MARCISZOVII* Patruelis Frater, qui non modò amantissimum Patruum, ast & studiorum tuorum beneficentissimum Patronum, Ducem & Hortatorem perdidisti. Qua certè orbitate nihil unquam funestius in his vitæ mortalis casibus tibi accidere potuit. Quis enim nescit, quàm impensè te amaverit, quo singulari affectu tibi addictus fuerit, quàm nulla sinceri amoris documenta prætermiserit; vel si alia hujusce rei deessent signa, ultimæ satis loquuntur tabulæ, quibus vivacissimos suæ erga Te bene affectæ voluntatis sensus effudit, præsagiens nimirum Te non modò sui sanguinis atque nominis, verùm etiam virtutis, pietatis, demissi animi ac præclaræ moderationis cum solida eruditione consociatæ ex asse hæredem futurum. Quamquam quid longiùs in luctuosissima tam acerbi casûs non recordatione minùs, quàm inani lamentatione detinemur? Si *MARCISZOVIUS* hanc lucis usuram reddidit, non miremur; commodatus enim à Cælo terris fuit, non donatus. Quia tamen Summorum hominum nec brevis vita

dicen

dicenda eſt, nec immaturus interitus, si tam diu vixerint, donec virtutis & ſapientiæ ampliſſimos fructus protulerint, concludamus neceſse; piiſſimum ac humaniſſimum *MARCISZOVIUM* ſatis diu vitam protraxiſse, cùm bene vivens ſatìs DEO, ſatìs Litteris vixerit.

Permiſſu Magnifici & Ampliſſimi Domini
RECTORIS.